

J. Wang, préparation à l'agrégation de Lettres Modernes, 2023-2024
À rendre pour le lundi 8 janvier (casier au DSA)

Version latine n°8 : banquet mortel

Pendant sa campagne en Sogdiane (328 av. J.-C.), Alexandre organise un banquet. Cleitos, général et ami proche du roi, agacé par la meute de flatteurs qui encense Alexandre, critique ouvertement ce dernier, notamment par comparaison avec son glorieux père Philippe II. Entre les deux hommes, qui ont beaucoup bu, le ton monte. Les amis d'Alexandre essaient de le retenir de se venger, mais en vain...

Sed clausae erant aures, obstrepente ira. Itaque inpotens animi procurrit in regiae uestibulum et, uigili excubanti hasta ablata, constitit in aditu quo necesse erat his qui simul cenauerant egredi. Abierant ceteri, Clitus ultimus sine lumine exhibit. Quem rex, quisnam esset, interrogat. Eminebat etiam in uoce sceleris, quod parabat, atrocitas ; et ille iam non suae, sed regis irae memor Clitum esse et de conuiuio exire respondit. Haec dicentis latus hasta transfixit, morientisque sanguine adpersus : « I nunc, » inquit, « ad Philippum et Parmenionem et Attalum¹. »

Male humanis ingeniis natura consuluit, quod plerumque non futura, sed transacta perpendimus. Quippe rex, postquam ira mente decesserat, etiam ebrietate discussa magnitudinem facinoris sera aestimatione perspexit. Videbat tunc inmodica libertate abusum, sed alioqui egregium bello uirum et, nisi erubesceret fateri, seruatore[m] sui occisum. Detestabile carnificis ministerium occupauerat rex, uerborum licentiam, quae uino poterat inputari, nefanda caede ultus. Manabat toto uestibulo cruor paulo ante conuiuiae ; uigiles attoniti et stupentibus similes procul stabant, liberioremque paenitentiam solitudo excipiebat. Ergo hastam ex corpore iacentis euolsam retorsit in semet ; iamque admouerat pectori, cum aduolant uigiles et repugnanti e manibus extorquent adleuatumque in tabernaculum deferunt. Ille humi prostrauerat corpus : gemitu eiulatuque miserabili tota personans regia ; laniare deinde os unguibus et circumstantes rogare, ne se tanto dedecori superstitem esse paterentur.

Quinte-Curce

¹ Attale et Parménion avaient tous deux été assassinés sur l'ordre d'Alexandre, un acte que Cleitos n'avait pas manqué de lui reprocher.